



DES HEILIGEN RICHARDS VON BAYLEN



54



D. O. M. A.

DISPUTATIO X.
Centuriae Quintae

QUAESTIONUM
ILLUSTRIUM PHI
LOSOPHICARVM

*In inclata Vitebergensi Academia
publice*

Proposita

PRÆSIDE

M. Iacobo Martini

Logices Profess. Publ.

RESPONDENTE

Constantino VVeckero

Laubano.

*Ad diem 20. Augusti in auditorio Collegij
veteris.*

VVITEBERGÆ

*Typis Laurentij Seuberlichij, Impensis Pauli
Helviciij. Anno A. DC. VIII.*





NOBILISSIMO AC STRE-
NUO VIRO

Domino Johanni Geberhardo
ab Albestleben, hæreditario in Eühenbar-
leben & Kalbe &c.

*Domino, fautori ac promotori suo
semper colendo*

*Georgißen hanc Philosophicam ad animi submissa
restandam promptitudinem*

Dicat & offert

Constantinus VVeckerus,
Autor & Respondens,

QVÆSTIO I.
Num ordo rectè distinguatur in composi-
tivum & resolutivum?

Rectè ordinem dividi in συστατικὸν & ἀναλυτικὸν
schola statuit Peripatheticorum, cui & nos calculum adijcimus, E
his innixi fundamentis. I. Instrumenti natura pendet ex fine.
Cicilius lib. 1. Parr. Prop. c. ult. Ordo est instrumentum
Zabar. 1. de Meth. c. 2. & 11. & lib. 2. c. 17. &
18. Finis ordinis est facilior ac melior nostra cognitio Idem 2. de
Meth. c. 6. In hac E. tota ordinis natura consistit. Cognitio hæc est duplex:
vel enim propter seipsam hanc quærimus, & eam adepti acquiescimus, ut in di-
sciplinis contemplativis, vel eam postea ad operationem dirigimus, ut in practi-
cis. Sicut igitur cognitio geminata tantum datur cuius causa ordinem adhi-
bemus, ita etiam necessariò duplex tantum erit ordo: Compositivus qui solis
contemplantibus Zab. 2. de Meth. c. 7. & resolutivus qui solis practicis di-
sciplinis Idem lib. d. c. 9. inservit. II. Res quæ cognoscuntur sunt du-
plices secundum Arist. 6. eth. c. 3. 4. & 5. alia sunt ἢ ἀνάγκης ὄντα καὶ
μὴ ἐφ' ἡμῶν, alia ἐνδεχόμενα ἄλλως εἶναι καὶ ἐφ' ἡμῶν secundum
hanc duplicem diversitatem rerum duplices quoque disciplina oriuntur Zab. lib. 2
7. de Nat. log. c. 2, duplices hæc disciplina duplicem finem duplicemq; scopum
habeant necesse est. Idem l. d. Aut enim rem mente tractamus, ut eam cogno-
scamus tantum, quod sit in rebus necessariis, quæ à nobis fieri non possunt: Aut
ut eam efficiamus seu efficere discamus, quod sit in rebus quæ à nobis fieri pos-
sunt. Ut igitur in his facilior sit cognitio, aliter necesse est ordiamur in hoc, ali-
ter in illo; in his quarum finis cognitio tantum, à primis principiis ad ea quæ
inde sunt progrediendum cum à principiorum cognitione cæterorum cognitio
pendeat Arist. 1. phys. 1. Hinc compositivus oritur ordo; in illis quarum finis
operatio, à fine ad principia progrediendum, cum hic sit notior & præcognitus
Arist. 3. eth. 3. Hinc resolutivus nascitur. III. Hanc nostram sententiam
Aristotelis firmamus auctoritate qui 1. eth. c. 2. in hæc verba loquens plane
nobiscum facit: Μὴ λαθάνειω δε ἡμᾶς, ὅτι διαφέρουσιν οἱ ἀπὸ
τῶν ἀρχῶν λόγοι, καὶ οἱ ὅτι τὰς ἀρχαίς, εἰ γὰρ καὶ Πλάτων ἠπόρεε
τῶν ἑξ ἡδὲ πότερον ἀπὸ τῶν ἀρχῶν ἢ ὅτι τὰς δεχάς εἰν ἡ ὁδός.
Ordinis dei synthetici in specie mentionem facit in 1. phys. 1. 1. Meteor. 1.
Ordinis analytici in 2. Metaph. c. 7.



2 Aristoteli & ipsiq; veritati, ut plerunq; in omnibus, ita & in his primò omnium cum chimæricis suis præceptis sese opponit Ramus lib. 9. Schol. dial. c. 8. unicam tantum methodum seu ordinem (non valens distinguere cum Zab. lib. 1. de Meth. c. 3. Piccol. introd. Moral. c. 14. inter ordinem & methodum) eamq; ex sententia Arist. asserens. Quam sententiam omnes Ramistæ ad unum sequuntur: Ita enim iuraverunt in verba regij sui professoris, ut nulla ratione ea deserere etiam rationibus convicti cupiant: Sed videamus ipsorum rationes.

3 Hypothesin & 1. ut solent ex Aristotele ipsiusq; interpretibus præmittunt talem: Ab universalibus progrediendum ad particularia, hinc cum Ramo concludunt unicam tantum esse methodum. 11. Ita argumentantur: Si duæ sunt methodi, contrariæ sint necesse est: & sic una erit à generalibus ad specialia, altera à specialibus ad generalia. Sed posterior refutatur ab Arist. 1. de part. animal. c. 1. Ergo unicus tantum erit ordo qui generales & universales προγενώσεως & πολύψεις priori loco disponit, hoc est, qui γυνώσκωτατον primò, ὑπὸ ἀλλήλας medio, ἰσδικώτατα postremo loca tractat. Ramus in proæm. lib. 9. scol. dial. Hæc sunt ipsorum rationes ad quas evertendas omnes arces & machinas convertere nos iubet Guilielmus Rhodinus Hassus lib. 2. dial. cap. 17.

4 Hæc & sunt ridicula illa commenta quæ usus ignorantia peperit, ut utar verbis Rami l. superius dicto.

Verissimum & nunquam satis laudatum illud Ciceronis 2. de Orat. Nemo potest de re, quam non rectè novit, non turpissimè dicere, Idem sanè in 1. ratione accidere ramistis parum abest quin dicamus. Assertionem peripateticorum dum assumunt, illam non rectè intelligentes applicare aptè nequeunt. Hanc communem & genericam omnis ordinis conditionem esse nemo unquam negavit sanus, quod nos seq; quæst. probamus. Eam verò ordinis species excludere planè absurdum, ut rectè hac in re notavit Goclenius lib. 5. probl. log. probl. 1. Perinde ac si ita arguam, Omne animal vivit. E. tantum est una species animalis: Ἄτοπον. In secunda maiorem nobis probes necesse est ramista, nã licet contrariæ suo modo hæc sint ordinis species, ut patefecimus superius, interim ut eo quo tu vis modo oporteat esse contrariæ, haur nobis persuadebis, nisi firmas adduxeris rationes, quo ad calendas græcas futurum speramus.

5 Secundo & impugnat hunc ordinum numerum Galen, lib. 1. de Meth. Medendi c. 1. & seq. quem sequitur Iohannes Pernæmia in Proæm: Philos. Naturæ Hospinianus lib. 6. quæst. dia. & Medici plerunq; omnes

omnes, qui tertiam adhuc addendam esse speciem, quam *ἰσχυρὴν* vocant
autumant. Quorum fundamentum præcipuum ita habet: Ordo est vel *ἄνω*
ad unum, vel multorum ad unum, Si unius ad unum vel est prioris ad posterius &
compositivus, vel posterioris ad prius & resolutivus sit ordo: Si multorum, ad
unum, definitivus oritur, quando nimirum disciplinam quam tractamus defini-
mus, & ex definitione per gradus omnes causas & accidentia deducimus.

Hanc ꝛ ob causam tertio loco insufficiencie arguit has species Eustratus **G**
in præf. super postter. quartam adhuc speciem addens, quam *διαιρητικήν*
seu divisivam indigitat, quod definitioni divisio statim subiungitur.

Verum ꝛ has opiniones subsistere non posse ipsarū rationes vanas esse hinc **7**
liquet. Quia hac ratione omnes disciplinae traditæ essent ordine definitivo, cū
qualibet ab initio definiatur vel definiri possit, Cum verò illa definitio non sit de
essentia disciplinae, sed saltem præcæmij locum obtineat, Zab. lib. 2. de Meth. c. 4.
cum non simpliciter sit necessaria Goclenius. lib. 4. Probl. log. prob. 47.
cum aliquando postremas tenere possit Idem lib. d. prob. 8. Essentialis inde
ordo originem habere non potest. Quod etiam de divisivo affirmandum.

Ad ꝛ Argumentum allatum breviter respondemus dicendo, illa plura quoque **S**
aut esse priora aut posteriora; sicq; inde fieri ordinem vel compositivum vel reso-
lutivum. Vberiore huius rei cognitionem si quis forsitan desideret, consulat
Zabarell. lib. 2. de Meth. c. 34. & 5. lib. 3. cap. 5. & seq. usque ad c.
35. lib. 2. Apolog. c. 2. & 3. Piccolom. introd. Moral. c. 22. & Parte 9.
Com. polit.

QUÆSTIO II.

Num in omni ordine procedamus ab univer-
salibus ad particularia?

Affertum ꝛ hoc fuit præcedente quaestione ipsisq; adversarijs concessum: **V**
Quoniam vero de huius elogij norma q; omnis ordinis veritate non satis inter
omnes constat, operæ precium ducimus hanc ulterius examinare, præsertim cum
hoc seculo reperiantur, qui universalis primo docere, esse ordinem tenebris of-
fundere, non reformidant scribere, idq; obtinere volunt his rationibus 1 A notio-
ribus nobis incipiendum. Zab. lib. 3. de Meth. c. 8 & 9. Singularia sunt notio-
ra, nobis universalibus Arist. 1. post. r. 2. λέγω πρὸς ἡμᾶς γνωμὸν πρὸς
τὰ ἐγγύτερον τῆς αἰσθήσεως, ἐγγυτάτω δ' ἐστὶ τὰ καθ' ἕκαστον. Ab his
A 3 Ergo

Ergo incipiendum a faciliore cognitu in ordine doctrinae praemittenda difficultioribus. Disciplinae ita disponende ut melius ac facilius ab omnibus addiscantur. Zab. 1. de Meth. c. 6. Magis universalia sunt cognita difficiliora particularibus. Arist. 1. Metaph. 2. Ergo postponenda. 3. Hoc approbat princeps veritatis (sic enim Arist. appellat. Scalig. exer. 10) lib. 2. post. c. 15. inquit δὴ ἀπὸ τῶν καθ' ἕκαστον ἐπὶ τὰ καθόλου μεταβαίνειν. 4. Hoc modo in omni ordine progrediendum esset à simplicibus ad confusa; Universalia enim sunt magis simplicia, particularia magis confusa. Quod tamen est proprium solius ordinis synthetici, ut patet ex initio 1. phys. Arist.

2. Quid nos ad haec? Palmam ne ipsis concedemus? Minime: scuta primum aliqua preparamus, quae ipsis opponere, quibus tela excipere, & impetum sustinere ipsorum queamus. Dein stratagemata excogitemus, quibus ipsorum castra & geras dirumpere & dilapidare possimus. Suius sunt. 1. Quae ad aliorum cognitionem necessaria sunt, illa primò loco necessario ponenda, quia iis ignotis caetera cognosci non possunt, nisi forsitan imperfectè & confuse Zab. 1. de Meth. c. 9. Cognitio universalium est necessaria ad perfectam cognitionem particularium Arist. 6. top. c. 3. Cognitio generis ad cognitionem specierum Zab. 1. de Meth. c. 11. Gocl. Part. 5. probl. log. probl. 32. Piccol. in Comite Polit. passim, & particularium cognitio ex universalium cognitione pendet tota. Zab. 1. de Meth. c. 14. Ab universalibus Ergo progrediendum ad particularia 2. Omnis ordo doctrinae possit ut à notioribus procedamus ad ignotiora. Arist. 1. phys. 2. 1 eth. c. 2. Mercenarius in dilucitat. p. 13. Universalis sunt nobis notiora 1. phys. 1. 4. τὸ γὰρ ὅλον κατὰ τὴν αἰσθησιν γνωριμώτερον; τὸ δὲ καθόλου ὅλον πῖσι, πλὴν γὰρ περιλαμβάνει ὡς μέρη τὸ καθόλου. Ab universalibus itaq; ad particularia procedendum. 3. A particularibus ad universalia progredi, est rem obscurare & minus facile docere: ῥᾶον γὰρ, inquit Arist. lib. 2. de gen. & inter: c. 9. τὰ καθ' ἕκαστον θεωροῦμεν ὅταν περὶ τῶν καθόλου λάβωμεν πρῶτον. Est ταυτολογίαν; Φανερόν δέ, verba sunt ejusdem 1. de part. animal. c. 1. ὅτι ἑκατὰ μέρος μὲν λέγοντες, περὶ πολλῶν ἔρῃμεν πολλάκις ταύτας δε. 4. ἀναγκάσιον ἢ τὰ καθόλου ὑπερχόντα πρῶτον ἀπὸ τῶν πολλῶν λέγειν. Haec scuta sunt nostra.

3. In medium nunc producenda stratagemata, quibus dissolvamus castra hostium. 1. obiectum ita diluitur. Distinguendum est inter cognitionem confusam & distinctam, quam distinctionem legimus apud Colleg. Conn. lib. 1. phys. c. 2. q. 2. art. 1. Tolerant 1. phys. c. 1. q. 5. Zab. lib. 1. de meth. cap. 8. quoad

quoad cognitionē confusam notiora sunt nobis particularia quoad distinctā uni-
 versalia. Oportet autē in ordine semper distinctam cognitionem respicere docente
 Zab. l. c. 9. 2. Universalia dupliciter possunt comparari, vel comparantur ad in-
 dividua, vel comparantur inter se: Si ad individua comparantur, hæc sunt nobis
 notiora, quia cognitio nostra est à sensu qui à singularibus incipit: Si comparantur
 inter se universalia, universaliora sunt nobis notiora Piccol. l. 1. phys. cont. 5.
 in c. dubit. Toletus l. 2. post. c. 2. De priori comparatione loquitur Arist. in
 Poster. lib. 2. de posteriori nos loquimur cum ipso in 1. phys. Unde nobis uni-
 versale non est logicum universale, sed idem quod commune, particulare, non
 vero logicum sed idem quod speciale. Secundum eadem ratione diluendum:
 loquitur de prima origine seu inventione & investigatione universalium mi-
 nor de qua nos hic non loquimur. 3. hoc modo, Arist. loquitur eo loci de ordine
 indagandi & componendi definitionem quem dicit esse methodum resolutivam
 non de ordine doctrinae. Videatur Zab. ad cont. 8. 2. lb. 2. post. Crellius ad
 eundem. 4. Ita: Universalia dupliciter possunt considerari vel ut confusa seu
 communiora, pluribus competentia, & sub se species comprehendentia, vel ut
 principia & partes minus communium. Piccol. libr. 1. phys. 1. 5. in resolut
 dubij 8. Quod vero etiam analyticus ordo ab universalibus progrediatur ad
 particularia expressa sententia est Arist. 3. Metaph. 7. & demonstratur fufius
 à Zab. lib. 1. de Med. demonstr. c. 12. & seq. duobus: Hippio probl. log.
 probl. 7. 8. 55. & 56.

QUÆSTIO III.

Num aliquid præter Deum sit necessarium
 simpliciter?

In distinctis distincte ut procedamus, dividamus prius necesse est necessarium
 in complexum & incomplexum cum lavello 5. Metaph. 1. 6. q. 12.

Quod ad primam necessarij significationem atinet, statim us omnino, solum
 Deum Opt. Max. esse necessarium simpliciter. 1. quia hic solus inter entia est
 perfectissimum ens. Fonseca 4. Metaph. c. 2. 1. Suarez, disp. 28. s. 13.
 hocq. primo & principaliter de ipso dicitur. Verlor, lib. 1. Metaph. c. 1. Quod
 maxime ens, ei affectiones entis primario competunt: quapropter non differunt
 τὸ ἔντε sed tantum τὸ λόγῳ in Deo ens & affectiones eius Verlor in
 Procem. Metaph. 1. concl. 4.

Maxime

Maximè Ergo necessarius. At maior non datur necessitas, quam absoluta Ergo. 2o
illud est simpliciter necessarium quod est maximè simplex & Meth. c. 5. Arist.
τὸ πρῶτον ἐν κινήσει καὶ κινήσεως ἀναγκαῖον τὸ ἀπλῆν, rationem
addit, τὸ πρῶτον ἐκ ἐνδέχεται πλεοναχῶς εἶναι, ὡς ἕδε ἄλλως ἔ
λλως. Deus est simplicissimus, probat Idem 8. phys. & Scalig. exer 359. f.
12. Hic Ergo maximè necessarius Plura argumenta videbis apud Suarez
disp. 28. f. 3. Timplerum lib. 2. Metaph. c. 6. c. 3.

3 Obijct 1. Si nulla res est simpliciter necessaria præter Deum, omnia e-
runt contingencia ut asserunt Avicenna & Timplerus, sicq; falsum erit quod
1. q. assertum est, ubi distinguebatur inter entia necessaria & contingencia ex
Arist. 2. Hanc non esse Arist. Sententiam, cum ipse contrarium sæpius profe-
rat, quando entia incorruptibilia necessaria vocat.

4 Sed t respōdemus nos ad 1. Si necessarium sumatur pro eo, quod habet i-
ta esse, ut non possit illo carere, contingens pro eo quod ita est, ut possit non esse,
quid absurdi sequatur, si præter hoc ens, quod est simpliciter necessarium, cætera
omnia dicamus contingencia, non videmus. sumpto vocabulo contingencia latè,
pro eo, quod potest non esse, quod ipsum suo calculo probatum dat Suarez disp.
d. 1. dist. 8 Res interim hæc inferiores ita à Deo liberè productæ Pere-
rius lib. 75. phys. c. 2. non omni privamus necessitate, sed ipsis tribuimus neces-
sitate dependentem & secundum quid absolutam, non simpliciter illam abso-
lutam & inde dependentem, quæ in solo Deo nata reperiri. Ad 1. equi vocatio-
nem esse in vocabulo necessitatis, quod uno modo sumitur pro incorruptibilitate,
quo in sensu creaturæ incorruptibiles dicuntur necessariae, quod non habeant
potentiam ad non esse intrinsicam, sed quantum ex se perpetuò durent. Altero,
pro eo, quod ex quidditate sua habet esse, neq; id ab alio recipit. Hoc modo nullum
ens præter Deum est necessarium simpliciter, omnia namq; cætera habent, aut
potentiam physicam & passivam ad non esse Pererius lib. 7. phys. c. 13. aut
potentiam tantum logicam, ut vocant, hoc est, talem, quæ ex parte earum non
dicat repugnantiam ad non esse Thomas par. 1. q. 9. art. 2. & 3. Deinde etiam
distinguerè hic possumus, inter necessitatem logicam & physicam. Intelligentiæ
& cætera res creatæ sunt necessariae necessitate physica, nõ verò logica, de qua hic
sermo, hoc est sunt necessariae negativè non positivè ut explicat Suarez 2. disp.
35. f. 3.

5 Quæsitum t hæctenus de necessitate entium incomplexorum, nunc de com-
plexis ulterius videndum, an habeant aliquam necessitatem simplicem.

6 Et t quod atinet primò illis enunciationes quibus attributa de Deo præ-
dicantur, nemo tam absurdus vel impius, qui eos non simpliciter necessarios esse
affirmet,

affrmet, cum Philippo lib. 3. dial. p. 133. Cum ipse solus simpliciter sit neces-
sarius, attributa verò in Deo cum essentia sint idem. Suarez. disp. 7. c. 1. dist.
6. & ita in ipso sint ut sint ipsam. Scal. exerc. 365. l. 6. De his igitur li-
beris morer.

At de connexionibus rerum infra Deum intricata admodum est questio. 7
Sunt multi qui eas nullo modo necessarias pronunciant, quam sententiam his
suadere conantur rationibus I Omnis veritas fundatur in aliquo esse: Arist. in
præd. subst. & in modis prior. At res non sunt simpliciter necessariae nec æ-
ternæ: Genes. 1. Proverb. 8. Ergo nec connexiones. Unde etiam negat Aristot.
Socratem mortuam esse hominem. 2. Regl. Egeu. c. 2. lib. 4. Meteor. 1. 54.
2. Si hæc enunciatio Petrus est homo simpliciter est necessaria, necessaria erit &
hæc, Petrus est animal. & hæc Petrus est vivens, sicq; necessarium, ut Petrus sem-
per invivis sit, quod absurdum. 3. Definitur necessarium ab Arist. 7 Metaph. c.
5. & Metaph. c. 5. quod sit id, quod se aliter atq; aliter habere non possit.
Atqui eiusmodi enunciationes possunt se aliter habere. Sic ignis potuit non urere.
Daniel. 3. v. 94. E.

Alij t contra has enunciationes simpliciter veras ac necessarias esse statuunt. 8
quorum sententia ad veritatem quam proximè accedit, & est Aristotelis omni-
umq; gravium auctorum, cui & nos subscribimus, eamq; probamus his funda-
mentis. 1. Si connexiones eiusmodi non essent simpliciter necessariae, posset fieri, ut
Petrus non esset homo, nec disciplina capax, ac proinde nec Petrus, de quo enim
negatur species de eo negantur etiam omnia individua Arist. in præd. subst.
Et sic potero dicere Petrus non est Petrus. En manifestam contradictionem.

Concedere t te inquis, Petrum non esse Petrum cum non existit, ideoq; veram 9
esse hanc enunciationem in sensu conditionali, hoc modo, Si Petrus est, id est, ex-
istit, est homo. Nos contra te pro secundo loco sic concludimus: Veritas conditio-
nalis fundatur in veritate simplicis: Sic hæc, Si Petrus est homo est animal, fun-
datur in hac, homo est animal. Si Ergo conditionalis est necessaria multò magis
simplex, in qua fundatur illa, erit necessaria. 3. Si tua sententia esset vera, con-
ditionalis omnis nostra de creaturis esset scientia, quod absurdum secundum A-
rist. 1 post. c. 2 3. Ad verificandam talem connexionem non requirere existen-
tiam extremorum ita probamus, quia hac ratione proprietates & attributa nõ
convenirent rebus antequam existerent, quod falsum esse docent Suarez disp.
Metaph. 31. l. 2. & 3. Fonseca 4. Metaph. 2. c. 4.

Ad t rationes in contrarium allatas respondemus in genere: Vocabulum 10
EST, in quo tota controversia consistere videtur, duobus modis accipi posse, 1. ut
significet actualem & realem conjunctionem extremorum in re ipsa existentia
um, 2. ut solum significet prædicatum esse de ratione subiecti, sive extrema ex-
istens.

istant, sive non: legatur Suar. disp. dist. s. 12. dist. 44. velita: Enunciaciones
hae dupliciter possunt considerari vel habita ratione habitudinis subiecti & pra-
dicati simul, vel subiecti tantum. Priori modo considerata enunciatio haec, homo
est animal, semper est vera sive homo existat sive non, posteriori non, nisi homo
existat.

1) In specie t autem ad 1 dicimus nullam esse in ea consequentiam. Quando e-
nim Arist. ait τὸ τὴν πρῶτην εἶναι ἢ μὴ εἶναι, τὴν δὲ ἄλληλην ὁ λόγος ἐ-
λθὼν ἢ ψευδὴς εἶναι λέγει. Idem est ac si dicat: ex eo, quod res est talis,
aut non est talis, oratio dicitur vera vel falsa. Res autem potest esse talis etiam
dum non existit. Sic recte Augustinus lib. 2 de lib. arbit. c. 8 3 & 4 esse 7
perpetuò veram erit etiam si nihil sit quod numeretur & 7 & 3. esse
10 non solum non, sed etiam semper, nec, ullo modo 3 & 7 non esse
10. ut aliquando 3 & 7 non esse 10. In altero loco citato Arist. committit
fallacia d'exp'ctōis: Ibi non simpliciter negat, Socratem mortuum non esse
hominem. Sed consequentiam hanc negat, Socrates est homo mortuus. Ergo So-
crates est homo. Vid. Toler. supra c. 2. lib. 2. w'eg' eg'p'p'. Deinde etiam non
idem est, quando dico, Socrates non existens est homo & quando dico, Socrates
mortuus est homo; illa enim vera, haec falsa. Ad 2. equi vocationem esse in voca-
bulo vivens, quod dupliciter accipitur, Vno modo pro eo, quod exercet operatio-
nes vitales, alterò, pro eo, quod constat ex corpore & animo. Colligitur haec distinc-
tio ex c. 3. lib. 2. d. Ani. Ar. Posteriori modo sumpto vocabulo, viventis, non
opus est, ut existat animus Petri semper in corpore Petri, quemadmodum neque
necessarium, ut ipse semper existat, sed ut nunquam dari possit diversitas Petri ab
omni composito ex corpore & animo.

2) Hoc t ut percipiat adverte ex Suar. disp. 3 r. s. 12. dist. 46. Connexiones
has nihil aliud esse, quam identitates quasdam extremorum, quae est in enunci-
ationibus essentialibus. Extrema enim talia, licet à nobis concipiantur per modum
coniunctionis praedicati cum subiecto, in re tamen nihil aliud sunt, praeter ipsam
met rei entitatem, ut idem habet disp. 7. s. 3. Ad 3. Concedimus Deum, pro-
prietates à subiectis separare, ipsarumq; actiones impedire posse, ut tamen inte-
rim subiectum semper naturalem propensionem ad has retineat, ut remoto im-
pedimento statim eas recipiat, & sic non tam separari, quam impediri à Deo
proprietates subiectorum.

QUAESTIO IV.

Entia necessaria an causam habeant?

1) De t simpliciter necessario illo ente entium, Deo videlicet, quod causam non
habeat.

2. 2. 11. quis tam stupidus ac vecors qui dubitet? Quomodo enim is, qui est causa sine causa, ens absq. ente ut loquitur Scal. exerc. 36 r. f. 2. qui primus omnium, principium, medium & finis, qui solus omnibus omnia, qui omnia super & praeter omnia, qui cu. ταντος, ut idem Scal. habet l. d. qui & τὸ quāq. ut Platon, causam habere potest? De hoc Ergo manifestum.

De ijs vero quae secundum quid necessaria diximus, an causam habeant? 2 anxie inter philosophos disputatur. Nos omnia haec entia incomplexa causam habere, non cum suro solum codice, sed & cum philosophiae principibus statuimus, idq. hoc modo probamus. 1. Qui quid habet causam finalem, id etiam habet causam efficientem; Unde finis definitur ab Arist. 8. Metaph. c. 2. cuius gratia aliquid fit. Atqui omne tale ens habet causam finalem adeo, ut etiam intelligentiae ea non careant Arist. 7. Metaph. c. 8. Ergo Omne ens habebit etiam causam efficientem. 2. Quicquid est maximè ens id causa est entitatis, in ceteris Arist. α ε δ α η. Metaph. c. 1. Deus est maximè ens, dictum praec. quæst. Ergo etiam causa cæterorum & per consequens cætera entia in complexa omnia habent causam, Plures rationes vide apud Suarez disp. Metaph. 29. f. 2. Scalig. exerc. 3. Exerc. 61. f. 3. Piccol. lib. 2. de creat. c. 4. & seq.

Quæstivimus & hæcenus de causa entium incomplexorum, de complexis, num 3 causam habeant, nec ne, ulterius videndum.

Connexiones & itaq. necessariae, quæ tales, veram causam non habere as- 4 firmamus ob sequentes rationes. 1. Quicquid non habet causam finalem id prorsus nullam habet causam. Patet hæc propositio ex Arist. 2. phys. c. 8. r. 1 de partibus animal. 5. Pererio lib. 8. phys. 5. Connexiones simpliciter necessariae non habent causam finalem: Non enim datur causa, propter quam homo est animal, aliàs etiam daretur causa, propter quam esset tale animal, & causa propter quam esset homo: Sed querere, propter quid homo est homo, est ridiculum & nihil querere. Arist. 7. Metaph. c. 17. Ergo & c. 2. Potest veritas huius rei declarari ex propositione conditionali, cuius veritas non pendet ex causa efficiente, vel potente efficere, & ideo aequè valet in possibilibus ac impossibilibus: habet hoc Suar. disp. Metaph. 3. f. 1. 2. dist. 4. 5. Aequè enim valet hæc conditionalis: Si lapis est animal est sensibilis, ac ista, Si homo est animal, est sensibilis. Et hæc omne animal est sensibile, per se non pendet ex causa, quæ possit efficere animal. Unde si per impossibile nulla esset causa talis, nihilominus illa enuntiatio esset vera. 3. Quod aequè se habet in Deo atq. creaturis, quod aequè cernitur in rebus fictis & veris, non potest habere veram causam efficientem.



Connexiones hæc æquè se habent in Deo & creaturis; æquè enim necessaria hæc, homo est homo, ac hæc, Deus est Deus, æquè enim implicant contradictionem opposita Eodem modo se habet hæc: Chimæra est sumentum, atq; hæc, homo est animal, cum æquè impossibile sit, Chimæram non esse Chimæram, atq; hominem non esse hominem. Hæc Ergo connexiones non habent causam.

S Hæc tamen licet vera omnibus facile appareant, non desunt tamen, quibus contrarium ardeat, his moti fundamentis, 1. Demonstratio est per causam Arist. 2. post. 2. Propositiones necessariae, quales & hæc, sunt demonstrabiles 1. post. c. 6. Ergo habent causam. 2. Res omnes excepto Deo, habent causam efficientem, ut dictum quæst. præ. Connexiones sunt res, quia Identitates extremorum ut in idem assertum Habebunt Ergo causam.

S Verum tamen frivola admodum hæc sunt rationes, quas solvere non adeo magni erit negotij. Ad 1. Respon. Dando, res omnes, Deo excepto, habere causas, ideoque etiam attributa coniuncta subiectis, de his autem quæstio non est, sed de connexionone attributorum cum subiectis, quas sine existentia extremorum veras & necessarias esse præc. q. demonstravimus. Ad 2. ut Respon. repetenda distinctio enunciationum, quam in generali adversariarum rationum solutione præc. q. attulimus. Non enim negamus, enunciationes constantes ex terminis realibus, habere causam efficientem, imò eandem ipsis cum rebus ad scribimus causam. Ab enunciationibus vero nude & in se consideratis, constantibus ex terminis aptitudinem tantum de se invicem predicandi habentibus, causam proprie dictam removemus. Iterum autem status quæstionis ab adversa parte in allato argumento immutatur, cum non queratur de proprietatibus an causam habeant, sed de connexionibus: Connexiones autem quis proprietates dicet?

QUÆSTIO V.

Cur motus naturalis circa finem sit velocior quam in principio?

S Propositionem tamen hanc legimus apud Aristotelem in 5. phys. c. 6. t. 61. 3. phys. cap. 9. t. 76. 1. Cæl. c. 8. t. 88. 2. Cæl. c. 6. t. 35. Cui subscribunt omnes, unico excepto Simplicio, qui primus in dubium hanc vocavit. Cuius sententia, cum iam dudum explorata sit, ab ipsaq; optima rerum magistra, experientia satis superq; refutata, in eâ hic non morabimur, sed rectè ad investigandum
hæc

De qua varias primum antiquorum
sententias invenimus.

Sunt t̄ qui cum Aristotele 8 phys. c. 10 3. Coel. c. 2. li. de insomn. 2
c. 1. probl. sect. II. probl. 6. Quæst. Mechan. q. 33. confugiunt ad
medium in quo fit motus: Cum enim motus in vacuo non fiat secundum Arist.
4 Phys. c. 8. necessarium esse, inquit, medium à mobili secundum, quò igitur
tur propius locum suum accedit, eò minus mediij superest, fit itaq; motus celeri-
or quàm in principio, in quo multum mediij aderat. Alij opinantur huius re
causam esse motum violentum precedentem motum naturalem, quod enim mo-
vetur naturaliter deorsum, movetur prius sursum violenter & contra. Unius
enim corporis unus tantum est motus naturalis 2. Coelic. 2. & 4. Coel. c. 4.
Virtus autem à motore impressa mobili quò longius recedit à movente, eò magis
debilitatur Scal. exer. 28. s. 1. violentiaq; cuius particulam etiam in descenden-
do aliquam retinet, minuitur, fit igitur motus ad locum proprium appropinquas
celerior, & in fine, ubi virtus illa impressa perijt, celerimus. Alij cum videant
mirabilem illam loci & corporis cognationem, de qua Arist. 4 Phys. t. 4. ad
hanc eventus huius causam deferunt. Alij, edocti formam esse causam cur gravia
deorsum levia sursum tendant, Zab. libr. 1. de mot. grav. & lev. 4. & 12
huius rei rationem hinc petendam arbitrantur. Mobile enim, extra suum locum
constitutum, varijs imbuitur aiunt, qualitatibus alienis, quæ proprias debilitat,
formamq; quò minus agere possit, impediunt: has verò ad proprium redens lo-
cum exiit, sicq; virtus motiva, quò minus abest à loco redditur potentior: ipseq;
motus promovetur.

Hæ t̄ antiquorum opiniones licet non improbables primo intuitu videan- 3
tur singula, tamen si quis eas in diem ac solem producat, diffusum per caliginem
aeris lumen amittunt. Primam quod attinet, rectè quidem in eo sentit, quod
causam referat ad resistantiam mediij cum Arist. desit v. in eo, quod non ido-
neam adducit emminutionis resistantiæ causam; Experientia siquidem comper-
tum, idem pondus, ex loco altiori descendens, maiori celeritate ferri, maioremq;
ictum facere, quàm descendens è propinquiori, quod iuxta hanc opinionem fieri
non possit, sed ubiq; æquè velox esset motus ictusq; æqualis. Altera sententia par-
ticulariter tantum concludit, de ijs motibus naturalibus, quos præcessit violentus.
locum Ergo in gravibus vel levibus extra suum locum genitis, statimq;, sine ullo
impedimento, ad illum cunibus, habere non potest. Neq; tertia veri quinquã ha-
bet, licet enim locum, ad se trahere locatum, fateatur Arist. hoc tamen docente
Pererio l. 1. 5. phys. c. 1. 1. non est ita intelligendum, ac si aliquam virtutem as-
qualitatem ex se in corpus transfundat locum, sed quod trahat, tanquam finis &
perfectionis,

erfo dicitur, quæ tractio metaphorica est. Deinde & hæc, cur ex propinquiore, ratiorem reddere non potest. Nec quarta locus esse potest: Nam si quis lapidem in altum securus ferat, eumque statim demittat in terram, motum in fine quam in principio celeriores fore, nemini inficias ibit, Quis autem sine absurditate dicere poterit, lapidem sua natura ad agendum & patiendum valentissimum per exiguam istam in parte superiore moram peregrinas affuisse qualitates.

4 Hactenus & antiquorum consideravimus opiniones; supersunt duæ adhuc, maximè illustres, valdeque hoc seculo controversæ, recentiorum opiniones, de quibus quæ sit verior videre est.

5 Dd. & Connimb. lib. 2, de cœl. c. 6. q. 1a. 2. Causam huius eventus esse arbitrantur incrementum impulsus, quem gravitas & levitas cuiusque corporis, ubi primum in loca propria pergere incipiunt, naturali quadam emanatione ex se fundunt, hanc sententiam approbare inquit Arist. 1. cœl. c. 8. t. 88. & lib. de quæst. Mechan. c. 9. lapis enim (verba sunt ipsorum) ex insita gravitate, tanquam causâ proximâ impulsu quendam elicit similem ei, quem iaculator teo imprimat, quem quò longius fertur; eò magis graduum nova accessione intendit.

6 Contra & Pererius lib. 14. c. 3. & Zabara lib. 1. de motu grav. & lev. c. 15. hanc sententiam à veritate abesse, veramque causam non explicare sequentibus demonstrant rationibus. 1. Hac ratione ponderosior esset corpus in fine quam in principio, crescente enim gravitate augetur pondus, quod ἀπορον. 2. Non possit dari ratio diversitatis, cur idem corpus, veniens à loco superiori, celeriori motu maioriq; impetu feratur, quam si ab humiliori. 3. Nondum constat, unde lapidi sit accessio illa gravitatis sine eius alteratione, quam propter summam eius duritiem & siccitatem facile non concedent in tam brevi temporis spacio.

7 Aliam & huius rei causam Zabara lib. 1. d. c. 16. & Pererius lib. 1. d. substituunt stantes cum prima antiquorum opinione, medium esse causam proximam maioris velocitatis quæ accidit motui naturali prope finem, modum verò, à prima opinione diversum, ponunt hunc: Cum à corpore medio aliqua fiat resistentia gravi descendenti & levi ascendenti, hæcque minor sit in fine quam in principio, sine ulla ulterius ratione huic effectus iste adscribendus erit. Quod verò res ita se habeat, liquet: Corpori, in aere, descendenti, substat primò aer quiescens, quem vi movere incipit corpus, hic motus, statim partem subsequentem movet; (ita enim natura constitutus aer, ut paulisper extrinsecus motus statim agitur, quod eius in aqua apparet, quæ ob iactum vel unius lapilli statim agitur.) Corpus ad secundam

secundam aeris partem veniens, invenit eam motam, & quidem ad eandem, ad quam illud vergit partem; Minor Ergo ibi resistentia itaq; velocius moveatur, quam in prima parte quiescente, cum autem velocius descendat in secunda parte, quam in prima, tertiam magis premit, quam secundam, ut ita commoveat quartam & quintam aeris partem. Quando ergo ad tertiam partem perventum velocius in ea moveatur, quam in secunda, & ita consequenter augetur velocitas motus. Colligitur huius rei veritas ex ijs qua in contr. 2. lib. 8. phys. ab Arist. de motu projectorum, memoria prodita sunt. Accidit insuper etiam subsequens aer, qui, a corpore prius pulsus, ut locum relictum subeat, vacuumq; impediatur, magno impetu ad terga corporis concurrir, & ita illud magis magisque propellit motumq; promovet. Quod iam de aere diximus, idem etiam de aqua intelligendum.

Hanc t sententiam, ut ceteris probabilior & verior iudicemus, calculumq; nostrum adijciamus, faciunt rationes contra superiores allatae, quales contra hanc dari non putamus, si tamen quae forsitan sunt, eas ad conflictum disputationis reservabimus.

QUAESTIO VI.

An vulnera, obligatis tantum armis sanari possint?

Multum t hac de re iaculatur Paracelsus, qui, per unguentum quoddam a Paracelso praescriptum, etiam longe distanti sauciato medelam pollicentur, tma tantum illinentes, nec ullum ad ipsum vulnus applicantes medicamentum, hac lege: Si temperanter vivat aeger, vulnusq; mundis lintibus quotidie abstergetur & sui ipsius urina eluat, Porta de Magia natur. lib. 8. c. 12. Nos quid hac in parte sit statuendum, breviter expendamus.

Testatur t Philosophorum copiphæus Aristoteles lib. 1. de gener. & corrupt. c. 6. r. 43. omnem actionem fieri per contractum. Sed in hac actione qualis contactus erit? aut corporalis, aut virtualis, certius non datur Magirus lib. 3. phys. c. 9. Corporalis non est, quia extrema non simul sunt, quod necessarium huius requisitum Arist. l. d. 1. 44. Virtualis itaq; sit necesse est: Sed hic quomodo per tantum intervallum firmus esse poterit, cum ab interiectis corporibus mediis frangatur & alteretur? Nihil siquidem, sive corporeum sit, sive corporis expert, in re motum agere potest nisi per media simul agat corpora. Dd. Connimb. l. 7. phys. c. 2. q. 1. ar. 2. lib. 1. de gen. & corr. c. 6. c. 3. art. 2. Unde E. haec sanatio?

A similitudine t forsam gladij obligati ad obligandum vulnus. Belle, sic relationibus, contra omnem auctoritatem & rationem, vim agendi tribuis.

Al. ab

At ab actione est, inquis, unguenti in sanguinem ferro adherentem. En quaeso
quam sis absurdus. Debet ne aut potest sanguis ille sanari? Hic, scio, non dices.
Ad quid igitur illa applicatio? ludicra & otiosa est. Dic tu, si vir es, cur non pos-
sis ita mederi etiam alijs, ubi tumor solus & livor? Forsan non fecisti periculum,
facias ideo quamdiu velis, nobis, te nihil profecturum, iam constat. Sed quid
quomodo nos experientia refragabimur? Hic tu an non putas etiam vulnus
absq. medicamento consolidari posse? Si temperanter vivat in omnibus sauci-
atum, studiosè obliget & extergat vulnus vini vel urinae lavatione prohibeat pa-
ris generationem & alia. Ipsi nos hoc experti sumus. Ipse testis est Paracelsus in
libello quaedam quem de curatione vulnerum edidit. Si quid autem praeter haec
eveniat, superstitioni id adscribas, quae sicut alias plurimum potest, nec in hoc o-
pere otiosa erit.

QUAESTIO VII.

Num sensus exteriores distinguantur distinctis
in cerebro ventriculis?

1. Duos, & sive tres, si memoriam addere velis, à philosophis & medicis astru-
untur sensus interni ut videre est apud Piccol. in lib. de sens. inter c. 7 To-
letum 3 de Ani. q. 6. concl. 1. Dd. Conn. lib. 3. de anim. c. 3 q. 1 ar. 3.
Fonsecam lib. 5. Metaph. c. 28 q. 6 s. 2. Zab. lib. de facult. animae c. 12.
quos in cerebro propter originem ibi nervorum, facile quilibet ponit cum G. a
nelo lib. 7 de Placit. Fernel. lib. 5. phys. c. 10. Thoma 1 part. q. 78 art.
4. De his, an sedibus sint disclusi maxima diffensione certatur.

2. Voluit hoc universa Arabum schola, cum qua faciunt Avicenna, Aver-
roes, Aetius & Dd. Scholastici plurimi, hu. inter recentiores, astipulantur
Philip. in l. de anim. Goelenius lib. 10. Phys. Compl. c. 8. Scribonius
& alij, qui phantasia in anterioribus cerebri ventriculis, rationem in medio,
memoriam in posteriori locant stabilitur hac sententia sequentibus potissimum
argumentis Imaginatio, cum sola receptione fiat, mollius ac humidius requirit
medium, memoria, ut reconditas notiones diu custodiat, durius parumq. humi-
dum, ratiocinatio mediocre. At quanto magis retrò progredimur, tanto seipso
durius cerebrum invenimus, Galenus lib. 9. de usa part. In anteriore Ergo
cerebri parte, quae mollior, imaginatio, in postrema, quae durior, memoria, in
media, quae mediocri, ratiocinatio erit. 2. Lesa aut pereunte unâ facultate,
sepius

sepius integra manet altera, ut testantur exempla Galen. lib. 8. de Symp.
diff. & lib. 4. de locis affect. c. 2. quod fieri non posset, nisi sedibus essent
disclusæ.

Nos t̄ contra negativam potius probandam censemus, cuius autor est G. - 3
lenus lib. 8. de usu part. quem sequuntur Græci omnes, Item Fernel.
lib. 5. phys. c. 8. & lib. 6. c. 15. Vallesius lib. 2. Controv. c. 23.
Laurentius lib. 4. operum anath. q. 1, qui omnes per totam cerebri sub-
stantiam sensus internos diffusos statuunt: propterea quod totum cerebrum
sit mediocriter humidum, ita ut cunctis facultatibus recipiendo & conservando
inservire queat, cui opinioni nostræ ipsa experientia suffragatur, quod lesa
una parte cerebri, sepius omnes simul laedantur sensus interni, & obstructio unico
ventriculo, deficiant simul omnes, ut in multis morbis demonstrant medici.

Argumenta t̄ prioris opinionis nullius plane ponderis sunt, solvunturq; 4
in hunc modum. 1. So'um concludit unam partem magis inservire receptioni,
alteram conservationi, quod nos facile largimur; Cum verò magis & minus,
secundum philosophos, non variant speciem sedibus facultates illas distingui hinc
non conficitur, quemadmodum alterandi facultas, quam nemo in toto ventri-
culo non dicit, magis viget in fundo, quam in cæteris ventriculi partibus. In
1. 1. Planè nulla est consequentia, sicut enim non valet, in ventriculo, variis
facultatibus præd. to, lesa est una illis cæteris, Ergo hæc sedibus distinguuntur,
ita & hic non valet: quæ n. facultas (lubet adscribere verba quædam Fernelij
lib. 6. phys. c. 15.) natura vel ascititiò incommodo infirma est,
hæc minus obstitit irruentibus causis, promptiusq; offenditur; quæ
vero firma ac valida, minus offensionis suscipit, & ita, quæ imbe-
cillior, prostermitur, validior verò obstitit irruenti iniuriæ: & sic li-
get in eadem sine sede, una facultas perit manentibus cæteris.

QVÆSTIO VIII.

An amicitia sit virtus?

Pro t̄ affirmante parte sequentes stant rationes. 1. Virtus consistit in medio-
critate Arist. 2. eth. c. 2. & 3. Amicitia est media inter duo extrema, quo-
rum alterum dicitur ἀγπότης, rusticitas seu morositas, alterum καλαξία
adulatio seu assentatio Alpasius in explanat. c. 1. lib. 8. Eth. Nicom.
Magirus eodem in loco. Amicitia ergo est virtus. 11. Quicquid est in ani-
mo, aut est facultas, aut perturbatio, aut habitus Aristot. 2. Eth. N. c. 4.
Amicitia, quæ in animo, non perturbatio, quia hæc per naturam inest Arist.

C

1. de

1. de Anim. c. 1. neq. facultas, quia & haec naturalis: Aristot. in praed. qua. & ob utraq. nec laudamur nec vituperamur: 2. Eth. Nicom. c. 4. At eum, amicos qui habet, laudari, qui nullos reprehendi vulgo audimus. Ergo est habitus. At omnis habitus laudabilis est virtus: 1. eth. Nicom. c. ult. Amicitia, ergo est virtus. 3. Amicitia praefertur iusticiae. 8. Eth. Nicom. c. 1. Iusticia est virtus 5. Eth. Nicom. c. 3. lib. 1. Magt. Moral. c. 34. 1. Rher. c. 1. & in lib. de virt. & vitijs, & quidem praestantissima reliquarum virtutum, 4. Eth. Eudem. c. 1. Ergo & amicitia virtus erit. Si enim id quod minus est, virtus est, etiam, quod maius, virtus erit: Axioma est Aristot. 2. Top. c. 4.

2 Pro negativa firmiores sunt rationes, quas si quis alius apud animum perpendere, priori opinioni sive longiori mora nobiscum valedicet. Sunt autem tales. 1. Omnis virtus in nostra est voluntate ac praeelectione 3. Eth. Nic. c. 7. 1. Magt. Moral. c. 12. Amicitia in nostra potestate non est: Definitur enim per mutuum amorem ab Heilando 8. Eth. c. 2. Piccol. grad. 7. Civil. c. 3. Caso lib. 8. Specul. mor. c. 2. quem in nostra potestate nemo credit. Ergo. 3. Virtus est bonum internum. ἐνδὸν ὄν, Amicitia est externum, attestante Philosopho. 9. eth. Nicom. c. 9. Amicitia ergo virtus non est. 4. Ex virtute aequè comparati sumus erga quoscunq. At per amicitiam uni atq. alteri tantum benevolimus & benefacimus. Ergo. 4. Accedit, quod Arist. in prior. lib. Eth. Nic. de virtutibus exactè agens, easq. numerans, nullam fecerit amicitiae mentionem, quod proculdubio, si inter virtutes numeranda esset, fecisset. Rectius ergo fructus & usus virtutis quam virtus indigitatur Piccol. grad. 7. civil. c. 10.

3 Ad argumenta in contrarium, ne quid etiam hic desiderari queat, respondemus: ad I. Amicitiam non esse habitum sed affectionem animi & servare medium non ratione sui, sed circumstantiarum & virtutum respectu, à quibus dirigitur, quemadmodum reliquæ affectiones animæ certo modo conformatae in mediocritate consistunt, quales sunt gaudium, timor &c. quas tamen virtutes appellari non legimus. Ad II. Ad affectum pertinere amicitiam iam asseruimus: Effatum autem illud vulgi, affectus natura in se, omnisq. laudis & vituperij expertes esse, cum mica salis accipiendum, de affectibus videlicet in se consideratis, siquidem affectus dantur commendatione digni virtutiq. similes, ut docet Piccol. grad. Civil. 4. c. 31. Quamvis homo (verba sunt Piccol.) ob animi perturbationes nec commendetur nec vituperetur, ob quasdam tamen, certo modo constitutas, tanquam per indicia & imagines virtutis vel vitij, vel per vias ad eas carpitur & commendatur.

Ad 3. Rem unam alteri dupliciter præferri posse vel absolute & in se, vel respectivè & ratione alterius Piccol. grad. 7. civi. c. 12. Posteriore modo præferri amicitiam iusticiæ Arist. respectu videlicet usus & fructus, non verò priorè: ideo argumentum nihil concludit.

QUÆSTIO IX.

Amicitia utrum magis consistat in τῷ φιλεῖν, quam
in τῷ φιλεῖσθαι?

Posterior t̄ vulgi est sententia, in quam incidisse videntur ob ambitionem & I
honoris cupiditatem, cum pleriq; homines naturā suā φιλότομοι, amari enim
ab altero est quasi ab eodem honore affici, hinc τοι φιλοκόλακες quod putant,
se ab adulatoribus vehementer amari, us enim mos est adulatorum, ut q̄s, à qui-
bus aliquid lucriferaant, sese submittant, eos honorent, venerentur & ad quævis
obsequia cupiant esse parata.

Opinionem t̄ hanc futilem esse, docetur ab Arist. 8. eth. c. 8. quod confun- 2
dat amicitiam cum honore, seu amari cum honorari, quæ duo maxime differant
in eo, quod amicitia propter se appeti debeat, honor autem non propter se sed pro-
pter aliud exspectatur: Honorari siquidem gaudemus, aut, ut inde confirmemus
propriæ virtutis conscientiam, ut cum honoramur à viris bonis, aut propter spem
accipiendi aliquando beneficij, ut cum à potentibus & opulentibus nos honore af-
fisi cernimus. Legantur Magirus l. 8. eth. c. 3. Casus l. 8. Spec. Moral. c. 8.

Hac t̄ E. opinione explosa, amicitiam magis in amare, seu in amore activo, 3
quam in amari, seu amore passivo positam esse, iudicat Aristoteles l. d. cum quo
& nos facimus ob sequentes rationes.

1 t̄ Omnis actio præstantior est passione: Beda in axi. Philos. p. 177. A- 4
mare actio est, amari passio. Ergo 2. Quod in nostra est potestate, quodq; eligere
possimus in amicitia, quæ usus & fructus virtutis præstantius est eò, quod non
est in nostra potestate & de quo deliberare non possumus. Amare priori, amari po-
steriori se habet modo. Ergo 3. Vnumquodq; in eo consistit maxime in quo opera-
tionem exercet suam. Conspicitur autem operatio amicitie magis in amare
quam in amari. Virorumq; enim amicorum, ait Aspasius supra c. 8. l. 8.
Eth. Nicom. operatio in eo, quod ament, constituta est, non in eo,
quod amantur. Ergo 4. Propter amorem activum magis laudamur, quam
propter passivum, excellentior Ergo 5. Potest hoc declarari exemplo matrum, quæ
maiores capiunt voluptatem ex amore, quo persequuntur liberos suos, quam ex
amore

amore liberorum, quo vicissim matres amant. Imò gnatos suos matres amant,
antequam ab ipsis redamari possunt & isto amore se obl. Etant, licet non redam-
mur à suis liberis. Magirus lib. 8. tit. 8.


QUÆSTIO X:

An bellum Christianis gerendum?



- 1) **Negativa** & placet multis, quod in Sacris literis pacem querere iubeamus
sepius. Deinde, quod repugnet ipsi humanæ naturæ bella gerere, quæ (uti habent
Seneca lib. 1. controv. cent. 1, & Erasmi in adagijs Ch. 4 cent. 1,
Prov. 1.) mitis & placida à Deo creata, naturæ divinæ proxima, non munita
cornibus, ut tauri; non instructa dentibus, ut apri &c.
- 2) **Sed** & firmiores multo, maioriq; ponderis, quibus affirmativa arridet, addu-
cunt rationes, cuius opinionis patrocinium nos suscipientes ex præcipuis has poni-
mus. 1. Deus ipse bellum præcepit Exod. 17. v. 14. Iosu. 8. v. 1 Iudic. c. 20.
v. 23. c. 23. v. 2. c. 30. v. 8. 2. Samuel. c. 5. v. 19. & bellandi præcepta tra-
didit Deuter. 20. v. 10 & seq. cap. 23 v. 9. 2. Magistratus divinitus præse-
dit, ut subditos defendat ab iniuria Roman. 13. v. 4. Bellum nihil aliud est
quam iusta defensio Recte Ergo Arist. concludit in Rhet. ad Alexand. c. 39.
πῶλεμον αἰρησθῆναι πρὸς τὰς ἀδικαῖν ἐπιχειρῆσαι τὴν πόλιν, ἢ τὰς
Φίλους, ἢ τὰς συμμάχους αὐτῆς. 3. Bellum cogit homines iustos ac
temperantes esse, Arist. 7. Polit. c. 15 continet homines in officio. Livius dec.
3. lib. 5. Facit ex intemperanti moderatum, ex desidioso strenuum. Bodinus
5. de Repub. c. 5. 4. Accedit quod nulli in biblijs, quorum summa ratio
habenda Christianis, prohibeatur vindicta publica seu bellum. Licet 3. enim inve-
niri quædam eiusmodi dicta, quæ hoc probare videntur non inficias imus, De
privata tamen hæc non de publicâ intelligenda vindicta.
- 4) **Ad** & rationes in partem oppositam superius allatas breviter respondemus. Ad
bella etiam propterea geri ut pax acquiratur, Ideo enim, inquit Cicero 1.
offic. suscipiuntur bella, ut in pace sine injuria vivamus. Ad 2. Concessa
nobis à Deo esse instrumenta, dexteras videlicet, ut & nobis ipsis & alijs
iniuria affectis opem feramus, Chrylost. Homil.
134. in Psalm. tom. 1.

FINIS.









D. O. M. A.
 DISPUTATIO X.
 Centuriæ Quintæ
QUÆSTIONUM
 ILLUSTRIVM PHI
 LOSOPHICARVM
In inclatâ VVitebergensi Academia
publicè
 Proposita
 PRÆSIDE
M. Iacobo Martini
 Logices Profels. Publ.
 RESPONDENTE
Constantino VVeckero
 Laubano.
Ad diem 20. August: in auditorio Collegij
veteris.

 VVITEBERGÆ
 Typis Laurentij Senberlichij, Impensis Pauli
 Helvicij. Anno A. DC. VIII.

54

